

*Reflexionum tenor talis est :*

**Reflexiones sive Notae in merito Reformationis Confiniorum Regni Croatiae et Banalium.**

Cum Sua Majestas Domina nostra Clementissima pro tanta majori servitii sui Caesareo-Regii promotione, Regni hujus intrinseca, et Provinciarum suarum securitate, Nationis hujus, ab origine sua martialis, majori gloria, demum et cum aliis regulatis copiis in belligerendo aequalitate benigne disponere audiatur, ut Confinia haec Regni et Banalia ad pedem Militiae regulatae ordinentur, occurrere posse censemur in eo.

**Primo.** Quod roganda obsequiose veniret Sua Excellentia Banalis, quatenus dignaretur ob oculos ponere Suae Majestatis Sacratissimae, Regni hujus servitia, et in suos Clementissimos Principes pro circumstantia omnis fortunae indesinenter posita merita, quibus non solum variorum Privilegiorum Collationes sibi factas assecutum fuit, sed ulterius quoque et liberalius sibi conferendorum spem et promissiones Caesareo-Regias meruit amplissimas, quorum sive confirmandorum sive ampliandorum occasio cum modo se exhibeat, devote interpellanda esset Sua Majestas Sacratissima, ut

**Secundo.** Tam intuitu anteactorum, quam recentium etiam hujus sui fidelis Regni Servitorum, nec absimiliter singularium ipsius Excellentissimi Comitis Bani sibi et toti Orbi Europeo notorum meritorum ex respectu, Praerogativam illam Regni et Bani, quam in Confinia haec, sanguine suo parta et tutata, cum incremento (uti speratur) Servitii Regii habet et exercet, non solum stabilire, sed gratia quoque et Benignitate sua Regia ampliare dignetur, pro perenni ejusmodi distinctae Clementiae suae apud seram Nationis hujus posteritatem celebratione, et illius tanto majori in Servitio suo et non interrupta fidelitate obfirmatione; Praerogativa autem haec Regni et Bani in his Confiniis constituit in eo :

**Tertio.** Quod Regnum hoc penes Banum, quem Rex denominat, constituendi Jus habeat Capitaneum Regni, Militaribus suis rebus Praefectum, quam Praefecturam jam a longiori tempore conjungere solet Banatu, ut quem Rex nominat Banum, Eundem Regnum constituit Capitaneum Confiniorum Suorum.

**Quarto.** Quod sicut hactenus Confiniorum Officiales usque ad Vojvodatum inclusive sola Bani, qua etiam Capitanei, Collatione, modalitate, mox sequenti puncto assecuta, contenti, Bano et Regno parebant, et in futurum etiam id ipsum observandum indulgeretur, imo si quibuscumque temporibus separari contingeret Banatum a Capitaneatu, Capitaneus nihilominus per Regnum constituendus ab hoc et Bano dependeret, et cum Jus nominandi Capitaneum Supremum Confiniorum sit penes Regnum,

**Quinto** Non incongruum esset, quod in casu vacantiae alicujus ex praeparatis Officiis, Regnum proponeret Bano, qua etiam Capitaneo, pro singula